



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De transsubstantiatione sacramenti. tit. 123

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

culpa & poena aeterna? Ergo indulgentiae sunt verae.

DE TRANSSUBSTANTIA-
tione Sacramenti.

TITVLVS CXXIII.

Primò, sectæ nolunt adorare Sacramen-
tum Eucharistiæ, quia non credunt, q̄
panis per verba consecrationis & vinū
vertantur in corpus & sanguinem Chri-
sti, sed post consecrationem maneat pa-
nis & vinum sicut antea. Nam omnes Euangelistæ di-
cunt, Accipit panem in manus suas, Matt. 26. Marci
14. Luc. 22. & Paulus 1. Cor. 10. Panis quem frangi-
mus &c. sicuti igitur ferrum & ignis ita inuicē copu-
lata sunt, vt tamen vtriusq; substantia sit ferrum &
ignis: Sic caro & panis, vinū & sanguis sunt coniun-
cta, vt tamen quælibet substantia maneat integra. Pa-
pistæ ergo adorant panem, & cōmittunt idololatriam
in processionibus Sacramenti, &c.

Secundò, Fides Ecclesiæ Catholicæ est, quòd vir-
tute verborum Christi, quæ in sua persona eloquitur,
id est, Hoc est corpus meum, panis transsubstantiatur
in corpus Christi, & vinum in sanguinem, ita q̄ nihil
de pane & vino manet post consecrationem. Sicut in
conuersione aquæ in vinum, Ioan. 2. nō mansit simul
vinum & aqua, sed totum fuit vinum bonū &c. Subin-
de, q̄ Euangelistæ dicunt, Christum accepisse in ma-
nus panē, hoc verum est, sed non mansit, postquā ele-
uatis oculis in cælū, & gratias agens benedixit: Hic
fuit alteratus panis in corpus: ideò dixit, Accipite &
comedite, Hoc est corpus meum. Non dixit, Accipite,
comedite, hic panis est corpus meum: sed simpliciter,
Hoc est corpus meum &c. Ideò nos credimus ibi ef-
se verum corpus & sanguinem Christi, animam & vi-
tam & diuinitatem Christi, ideò nos non adoramus
panem, sed diuinitatem Christi, quæ nunquā separa-
tur à

tur à corpore & sanguine Christi. Sic etiam Lateranense Concilium, in quo fuerunt 1315. patres, conserunt, &c. Nec similitudo ignis & ferri quadrat. Ignis non potest sua virtute ferrum vertere in suam substantiam, nec è diuerso. At verba Dei & Christi sunt, Hoc est corpus meum, &c. hic potest transsubstantiare panem in corpus, &c. Maior est Dei potentia, quàm virtus aut industria humana. Accidentia etiam cùm non sint substantia, ideo non possunt transsubstantiari, &c.

Si enim vtrunq; maneret simul post consecrationem, tunc Christus non esset aliter in Sacramento, quàm erat in ianua, Ioan. 20. aut vtero beatæ virginis: & sic lapis sepulchri, ianua, aut corpus virginis, posset dici corpus Christi: quod est absurdum. Et quod Paulus vocat panem, id facit, vt primum lente instruat fideles, ne statim audito corpore Christi scandalizarentur, sicut Capernaitæ, Ioan. 6.

Tertiò, sunt ergo Luterani omnes paniuori, & non potatores: & quomodo consecrare possunt corpus Christi, ex quo non credunt transsubstantiationem? Et quæ utilitas esse poterit communionis, quando ibi non rectè credunt de Sacramento? Subiungunt, quando vtuntur Sacramento ad dissipandam vitam, cùm tamen potissimum ob id sit institutum, &c. Parùm distant Vvigglesistæ à Berengaristis, ideo 1. Cor. 11. inquit Paulus: Quoniam plerique non discernunt, id est, non discernunt nec venerantur corpus Christi, sicut deberent, ob id puniuntur, &c. Et Cyprianus sermone 3. de lapsis, dicit: propter indignam communionem mundum puniri, & homines varijs plagis, bellis, pestilentijs, &c.

ABSOLVTIO AN SIMVL
tollit culpam, & pœnam.
TITVLVS CXXIII.
Ecclesia